

VIRGILE

Bucolique I

Melibœus

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi
 siluestrem tenui Musam meditaris auena ;
 nos patriæ finis et dulcia linquimus arua ;
 nos patriam fugimus ; tu, Tityre, lentus in umbra
 5 formosam resonare doces Amaryllida siluas.

Tityrus

O Melibœe, deus nobis hæc otia fecit.
 Namque erit ille mihi semper deus, illius aram
 sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.
 Ille meas errare boues, ut cernis, et ipsum
 10 ludere quæ uellem calamo permisit agresti.

Melibœus

Non equidem inuideo, miror magis ; undique totis
 usque adeo turbatur agris ! En ipse capellas
 protinus æger ago ; hanc etiam uix, Tityre, duco.
 Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
 15 spem gregis, a ! silice in nuda conixa reliquit.
 Sæpe malum hoc nobis, si mens non læua fuisset,
 de cælo tactas memini prædicere quercus.
 Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

Tityrus

Vrbem quam dicunt Romam, Melibœe, putauit
 20 stultus ego huic nostræ similem, cui sæpe solemus
 pastores ouium teneros depellere fetus.
 Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
 noram, sic paruis componere magna solebam.
 Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes
 25 quantum lenta solent inter uiburna cupressi.

Melibœus

Et quæ tanta fuit Romam tibi causa uidendi?

Tityrus

Libertas, quæ sera tamen respexit inertem,
 candidior postquam tondenti barba cadebat,
 respexit tamen et longo post tempore uenit,
 30 postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
 Namque - fatebor enim - dum me Galatea tenebat,
 nec spes libertatis erat nec cura peculi.
 Quamuis multa meis exiret uictima sæptis
 pinguis et ingrata premeretur caseus urbi,
 35 non umquam grauis ære domum mihi dextra redibat.

Melibœus

Mirabar quid mæsta deos, Amarylli, uocares,
 cui pendere sua patereris in arbore poma.
 Tityrus hinc aberat. Ipsæ te, Tityre, pinus,
 ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta uocabant.

Tityrus

40 Quid facerem ? Neque seruitio me exire licebat
nec tam præsentis alibi cognoscere diuos.
Hic illum uidi iuuenem, Melibœe, quot annis
bis senos cui nostra dies altaria fumant,
hic mihi responsum primus dedit ille petenti :
45 "Pascite ut ante boues, pueri, submittite tauros."

Melibœus

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt
et tibi magna satis, quamuis lapis omnia nudus
limosoque palus obducat pascua iunco.
Non insueta grauis temptabunt pabula fetas
50 nec mala uicini pecoris contagia lædent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota
et fontis sacros frigus captabis opacum !
Hinc tibi, quæ semper, uicino ab limite sæpes
Hyblæis apibus florem depasta salicti
55 sæpe leui somnum suadebit inire susurro ;
hinc alta sub rupe canet frondator ad auras,
nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes
nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

Tityrus

Ante leues ergo pascentur in æthere cerui
60 et freta destituent nudos in litore pisces,
ante pererratis amborum finibus exsul
aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
quam nostro illius labatur pectore uultus.

Melibœus

At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,
65 pars Scythiam et rapidum cretæ uenimus Oaxen
et penitus toto diuisos orbe Britannos.
En umquam patrios longo post tempore finis
pauperis et tuguri congestum cæspite culmen,
post aliquot, mea regna, uidens mirabor aristas ?
70 Impius hæc tam culta noualia miles habebit,
barbarus has segetes. En quo discordia ciuis
produxit miseros ; his nos consequimur agros !
insere nunc, Melibœe, puros, pone ordine uites.
Ite meæ, felix quondam pecus, ite capellæ ;
75 non ego uos posthac uiridi proiectus in antro
dumosa pendere procul de rupe uidebo ;
carmina nulla canam ; non me pascente, capellæ,
florentem cytisum et salices carpetis amaras.

Tityrus

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
80 fronde super uiridi. Sunt nobis mitia poma,
castaneæ molles et pressi copia lactis ;
et iam summa procul uillarum culmina fumant,
maioresque cadunt altis de montibus umbræ.

Géorgiques, II

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
 agricolas ! quibus ipsa procul discordibus armis
 460 fundit humo facilem uictum iustissima tellus.
 Si non ingentem foribus domus alta superbis
 mane salutantum totis uomit ædibus undam,
 nec uarios inhiant pulchra testudine postis
 inlusasque auro uestes Ephyreiaque æra,
 alba neque Assyrio fucatur lana ueneno
 nec casia liquidi corrumpitur usus oliui :
 at segura quies et nescia fallere uita,
 diues opum uariarum, at latis otia fundis,
 470 speluncæ uiuique lacus et frigida Tempe
 mugitusque bouum mollesque sub arbore somni
 non absunt ; illic saltus ac lustra ferarum
 et patiens operum exiguoque adsueta iuuentus,
 sacra deum sanctique patres; extrema per illos
 iustitia excedens terris uestigia fecit.
 Me uero primum dulces ante omnia Musæ,
 quarum sacra fero ingenti percussus amore,
 accipiant cælique uias et sidera monstrent,
 defectus solis uarios lunæque labores ;
 unde tremor terris, qua ui maria alta tumescant
 480 obiicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
 quid tantum Oceano properent se tinguere soles
 hiberni, uel quæ tardis mora noctibus obstet.
 Sin, has ne possim naturæ accedere partis,
 frigidus obstiterit circum præcordia sanguis,
 rura mihi et rigui placeant in uallibus amnes,
 flumina amem siluasque inglorius. O ubi campi
 Spercheosque et uirginibus bacchata Lacænis
 Taygeta ! O, qui me gelidis conuallibus Hæmi
 490 sistat et ingenti ramorum protegat umbra !
 Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
 atque metus omnis et inexorabile fatum
 subiecit pedibus strepitumque Acherontis auari.
 Fortunatus et ille, deos qui nouit agrestis,
 Panaque Siluanumque senem Nymphasque sorores !
 Illum non populi fasces, non purpura regum
 flexit et infidos agitans discordia fratres
 aut coniurato descendens Dacus ab Histro,
 non res Romanæ perituraque regna ; neque ille
 aut doluit miserans inopem aut inuidit habenti :
 500 Quos rami fructus, quos ipsa uolentia rura
 sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea iura
 insanumque forum aut populi tabularia uidit.

Géorgiques, IV

Namque sub Œbaliæ memini me turribus arcis,
qua niger umectat flauentia culta Galæsus,
Corycium uidisse senem, cui pauca relict
iugera ruris erant, nec fertilis illa iuuenis
nec pecori opportuna seges nec commoda Baccho.
130 Hic rarum tamen in dumis olus albaque circum
lilia uerbenasque premens uescumque papauer
regum æquabat opes animis seraque reuertens
nocte domum dapibus mensas onerabat inemptis.
Primus uere rosam atque autumnno carpere poma,
et cum tristis hiems etiamnum frigore saxa
rumperet et glacie cursus frenaret aquarum,
ille comam mollis iam tondebat hyacinthi
æstatem increpitans seram Zephyrosque morantes.
140 Ergo apibus fetis idem atque examine multo
primus abundare et spumantia cogere pressis
mella fauis ; illi tiliæ atque uberrima pinus,
quotque in flore nouo pomis se fertilis arbor
induerat, totidem autumnno matura tenebat.
Ille etiam seras in uersum distulit ulmos
eduramque pirum et spinos iam pruna ferentes
iamque ministrantem platanum potantibus umbras.
Verum hæc ipse equidem spatiis exclusus iniquis
prætereo atque aliis post me memoranda relinquo.